

D. F. Y. S.



D. J.

ad

Cap. XXI. Comma 22.

D. JOHANNIS

EXERCITATIO

PHILOLOGICA TERTIA,

BARTOLDO NIHUSIO

Sacerdoti Pontificio
opposita,

*ing. illustri Academia Wittebergensi
publicè ad disputandum
proposita.*

à

M. JOHANNES ERNESTO


GERHARDO Jenensi, Coll. Philosoph.
Adjuncto.

RESPONDENTE

TOBIA MAGEN, Greuffensi,

Habebitur in Auditorio Philosophorum

a. d. XXIII. Martij.



WITTEBERGÆ,

TTPIS JOHANNIS HAKEN, M DC L.



D. J.

24

OP. XII. COMM. 12

T. JOHANNIS

EXERCITATIO

PHILOGICA TERTIA

BARTOLO MESSIO

Stadth. Bibliothek

op. 12

Mag. Julius Academicus Wittenbergae

publ. in officina

propria

MIOHANNIS ERNESTO

GERHARDO JENSEN, Coll. Philol.

Adjuncto

RESPONDENS

TOBIA MAGEN

Philol. in Wittenbergae


OP. XII. COMM. 12

OP. 12

WITTEBERGAE

THOMAS JOHANNIS HASEN, M. D. C. C. C.





DIVINA JUVANTE GRATIA.

ID quod in Comœdijs ut plurimum fieri videmus, ut
Histrionis alicujus vel servi jocos, Regis cujusdam aut
principis graviores excipiant sermones ac quasi inter-
findant: mox tamen histrio rursus interveniens quiescere
illos jubeat, imperitamq; plebem vel novitatis cupidos
spectatores in suas pertrahat partes, certè scurrilibus suis
dictis nonnihil detineat: idem ferè, quamvis præter opi-
nionem, evenisse mihi deprehendo. Ex quo enim supe-
riori mense Januario *Bartoldum* aliquem *Nibusum*, non-
tam Disputatorem illum acrem, quàm Satyricum, acule-
atis dicteris honestissimos quosq; Viros pungentem pas-
sim, in scenam produxi disputatoriam, interrumpere e-
quidem ludicra ista bella sacratori aliquà, quam de *Orien-
taliū Festivis* affectaveram, conatus hætenus materiã sum:
ast noluit quiescere Nihusius, sed iterum in theatrum pro-
diregestit. Agite itaq;, quæis volupe est, adspicite illum at-
que audite, considerantes tamen juxta mecum diligentius,
quibus Satyricus ille technis summorum Virorum famæ
insidias struere malitiosè nitatur. Ut verò hominis ma-
levolentia atq; astutia reddatur manifestior (neq; enim
ullus ambigo, fore nonnullos, sed eos tantùm, quibus li-
belli Nihusiani, meris propè calumnijs referti, nondum
videndi facta copia est, qui sentient, malignè nimis Nihu-
sij verba interpretatum me hætenus esse, parciusq; ista ta-
lia *seni sexagenio* objicienda à juvene fuisse) en figmento-
rum fucum abstergam nonnihil spongio veritatis. exter-
nam enim si quis libelli Nihusiani formam aspexerit tan-
tùm,

tum, ausim ipse contendere, haut difficulter adduci quem posse, ut multa veritati consentanea censeat quam maxime, quæ tamen examinata accuratiùs, sponte suà corruunt ipsa. Ita nimirum elegans Judæorum lusus iste est, quo nonnulli scribunt inter ipsos, *mendacium* falsitatemq; firmo non diu stare posse talo, cùm fulcris careat sufficientibus. *veritatem*, v. utpote benè suffultam, stare semper immobilè, atq; hoc ipsum indicari scribunt vocum Ebraicarū, quæ *veritatē* ac *falsitatem* notant, scriptione: Dictione siquidem קרשׁ quæ *mendacium* sonat ac *falsitatem*, ijs tantum scribatur litteris, quæ iustis careant fulcimentis, contrà autem nomen מנח, quod *veritatem* significat Ebræis, fulcris gaudeat egregijs, quibus fortiter incumbat ac quasi nitatur. Sed ad Nihusium. Esto itaq;

CAP. I.

Quæ de superioribus restant circa acceptionem part. sic breviter pertexuntur contra Nih. Sine causâ eundem, dum cū nostratibus disputat, probare, *D. Johannem verè obiisse*. malitiosè Nihusium B. Parenti meo responsum aliquod affingere. Quàm sæpè in ore sit Nihusio *stulti* titulus? An Pontificiorum aliquis vivente adhuc B. Parente contra ipsum scripserit? *segmentorum* Nihusianorum aliquot exhibentur specimina, è quibus de reliquis possit fieri iudicium. *Lappij* J.C. Ultraj. *odium cæcum* erga B. Par. De *Elisabetha*. *Chronologicæ* aliquot *contradictiones* in Nihusio monstrantur.

Si verum jam est, quod Nihusius p. 233. asserit, *istiusmodi SI* (quo de Disputatione egimus præcedente, quod scilicet simul Conditionaliter sumatur & assertivè) *è in veteribus in Ecclesiâ DEI expressum NONNUNQUAM fuisse* voce SIC: *ita tamen ut conditionem non voluerint extinctam, sed unà intellectam; quanquam adseverantes aliquanto (imò solum plenitusq; affirmantes) magis, quàm conditionaliter loquentes. quid quæso opus fuit, ut ad asylum illud confugeret*

geret Nihufius scriberetq;: *vel unicam talem hirundinem, ver sibi facere.* Satiùs, nisi egregiè fallimur, Nihufius fecisset, si hoc suum NONNUNQUAM locis aliquot è Patribus Latinis, hos enim procul ambiguo per Veteres in Ecclesià DE intelligit ipse, probasset. Præsentem namq; quod concernit locum, & unicum quidem eum, ibi nemo non videt, de illo solo pronunciari neutiquam posse Nihufij NONNUNQUAM. Nec unquam sanè Patres nonnulli Latini particulam SIC h. l. adhibuissent, nisi *librariorum errore inveterato* (non mea verba sunt, *Nihufi*, sed doctissimi clarissimiq; inter vestrates Viri & insuper Episcopi, *Cornelij Jansenij*) quo in vulgatam versionem sic pro si jam tum irrepserat, fuissent decepti. Neq; tamen omnes pro tali affirmatione acceperunt, quæ conditionem aliquam includat, sed pro purâ affirmativâ particulâ. id quod ex operosa B. *Augustini* de vero loci hujus sensu Disputatione, nec non ex mirificis nonnullorum de Johanne non mortuo, sed vivo cum Enocho & Eliâ in paradysum translato opinionibus satis evadit clarum. Non v. erat, cur disputans cum nostratibus tam prolixè Nihufius ex *Tirone* atq; *Malvendâ* probaret suis, *Johannem naturali morte fuisse defunctum*, cum nemo nostratium tam absurdus vel vanus fuerit unquam, qui contrarium defensum iverit sive *seriò*, sive etiam *exercendi ingenij gratiâ*. Quod postremum quoq; exercitium, an tali in re locum commodè inveniatur, Nihufius dispiciat accuratiùs, fortè non adedò adferet ipse, audacter, *Problematicè & ingenij ostendendi causâ falsam illam sententiam à Trapezuntio, scribâ Apostolico fuisse defensam*. Causam v. Nihufius habuit omninò nullam tam sinistra è suo, ceu patet, cerebello de B. Parentis ingenio judicandi in causâ *Quarentium*, Anglicanam Ecclesiam turbantium. Modestissimus scil. Nihufius est, ac paternè placidèq;

dèq; ceu solet, informat Quærentes istos. Subdit verò: *sed*
J. Gerhardus dicere scio (unde, quæso, id scis Nihusi? imò er-
ras vehementer) *mallet, Quærentes hosce sive Expectantes*
errare ita, quia stulti sunt. TUUM potius, Nihusi, ingenium
pariter ac stylum phrasis redolet ista. Annon enim Tibi
passim in ore ac calamo sunt istiusmodi encomia? cujus
sunt ista? *stultus est Gerhardus, fatuellus est Conringius, stul-*
tissime hæc producuntur, ab Hunnio ac Heilbrunero non solum,
verùm & à multis alijs, in quibus etiam Scharffius Witebergi-

Vide Hy-
pod. Nibuf-
nes Gerardus. ò Jo. Gerardi affanias. Jacob. Heilbrunero & Æ-
pres. p. 31.
32. 33. tr. p.
38. 57. 61.
76.
gidi Hunnio stultissime prolocuti sunt. fatuissime dictitabāt pro-
pugnatores rei Lutherane in Colloquio Ratisponensi. stultè feci-
sti Scaliger. Agnoscisne, Nihusi, stylum Tuum & ingeni-
um? Atq; hos ipsos flosculos ac longè plures in prioribus
statim hortuli tui areolis decerpere licet. Nolo ego convi-
tiorum congerere plaustra, quibus omnibus propè pagellis
nostros, Nihusi, oneras Theologos aliosq; viros do-
ctissimos. Neq; etiã readsumã prolixiorẽ istam contro-
versiam, annon ex ipsis Scripturis demonstratum à nostra-
tribus contra Romano-Catholicos fuerit, *multa ab illis doceri*
Sacris litteris prorsus contraria. non attingam, inquam, vel
meam jam faciam, cùm ab hàc illa cathedrã aliena sit. aliàs
de facili esset, ostendere multorum inductione exemplo-
rum, omninò ita sese rem habere, factumq; id dudum ab-
unde à nostris Theologis quoq; esse. Quæ porrò ex lege
diffamari producit Nihusius itidem ad alia pertinent sub-
fella. Quando vero pergit Nihusius, ac gravissimam illã,
ceu putat, Lutheranorum adversus Romanenses injuriã
obsignat verbis istis: *Piget immorari ultrà nimis vilibus Jo.*
Gerardi phlyariis: quas interim pro maximis oraculis vendita-
re lectori satagit Glassius, ac sine dubio etiam Jo. Major, Super-
istern-

*intendens Jenensis; ut qui perhibetur concionatus in Jo. Gerardi exequiis gloriabundus, contra eum (quasi invincibilis fuisse) prodijisse scriptorem neminem. ibi certè nescio, an malevolentiam magis, quàm ignorantiam Nihusij prodiderit suã, nisi potius utramq; egregiè. An omnis ille, qui lectore ad autorem aliquem remittit, pro meris scripta illius auctoris agnoscit venditatq; oraculis? Sola agnoscimus Lutherani oracula divina sacris litteris comprehensa. Pontificiorum potius mos iste est atq; error, qui Papæ Romani placita pro oraculis agnoscunt non maximis solum, sed divinis, ceu ex prolixis Pontificiorum atq; adeo ipsius etiam Nihusij dissertationibus, quòd Papa Christi vicarius sit, quòd nullo errare modo possit, Sole meridiano clarius est. Sed hæc dere Theologi. Falsum v. est ac purum figmentum, Concionatum Dn. D. Job. Majorem in exequiis B. Parentis mei fuisse gloriabundum, contra B. Parentem meum prodijisse scriptorem neminem: Extat typis eo modo descripta Concio illa funebris, quòd à laudato Dn. D. Majore habita fuit, in illa ipsa ne quòd quidem invenies, Nihusij, hujus Tullii figmenti, neq; etiam est, quod excipias, omissam hanc Concionis particulam postmodum fuisse: causa enim adfuit nulla, quare omitti debuerit, cum nullus ostendi Scriptor Pontificius possit, qui (quantum mihi quidem constat) vivente adhuc B. Parente meo calamum contra scripta ipsius, viginti & amplius annis ante beatam ejus *ἀναλυσιν* in lucem emissa, strinxerit. Quod v. nonnulli è Calvinianis in Belgio unum alterumq; locum (quamvis & hoc rarissimè factum, idq; à tribus saltem quatuorve) sinistrè interpretari atq; adeo refutare præsumserint, ea quidem vix digna sunt, quæ recenseri debeant. atq; his ipsis tamen jam pridem à Dn. D. Johanne Tobia Majore, paternæ virtutis cathedræq; hærede, nec non Dn. D. Musæo, itidem Theologiæ Prof. Publico in
almâ*

almâ Salanâ clarissimo, alijsq; satisfactum abunde est, ut Nihusius causam gloriandi habeat omninò nullam. Glossema v. Nihusij malitiâ plenum est, quando ideò memoratum hoc à Dn. D. Majore fuisse adserit, *quasi invincibilis fuisset* B. Parens meus. Neq; tamen dubitavit Excellentissimus Dilherrus in laudatione funebri, quam B. Parenti meo NOMINE UNIVERSITATIS dixit, publicè pronunciare, quòd B. *Parès libris suis perverſitatem contuderit hæreticam, quæ ne hîſcere quidem, aut monſtrorum dormitori obſistere auſa fuerit.* Quid ad hæc Nihusius, totius Universitatis nomine dicta? Mirum non fuerit, si jam nunc vehementer succenseat inclutæ Academiæ Nihusius,

rumpantur & ilia Codro.

Sed age Nihusi, recense Doctores tuos, qui viventi B. Parenti sese opposuerunt, ac se suamq; hæresin à B. Parentis objectionibus liberaverunt, & eris mihi magnus Apollo. Discere v. ex relatione hæc Nihusij licet, quid sentiendum nunc de alijs assertis ejusdem sit, ubi sublestæ omninò fidei historicum agit. Sed quid vetat, unico saltem atq; altero id confirmare exemplo, ut manifestò appareat, quàm strenuè didicerit Nihusius, figmenta venditare pro veris. Nolo commemorare, quòd Nihusius cum mortuis sermones misceat, ab ijsdemq; nescio quid rerum suavissimarum accipiat. Sicuti de Cromajero Superint. Vinariensi tale quid refert p. 288. Difficile profectò est, cachinum suppressere ac moderari sibi à risu, qui ista in Nihusio l. c. legerit: *præstabat nihil tale fieri & c. nam cæterò quin non curasset nuper ante biennium* (scripsit hæc Nihusius mense Dec. anno 1646. ediditq; anno 1648. mortuus verò Cromajerus Vinariæ est anno 1643.) *sicuti curavit, significari peramicè mihi, Sacerdoti Catholico, & sermè propemodum depontano; quod si placeat reverti Vinariam, datum iri ab sese operam, ut omnium pulcer-*

pulcherrima mibi & lepidissima copuletur in matrimonium,
virgo. Integro igitur anno & amplius post, quàm Cromajerus beatè in Christo obdormivit, nunciari ille Nihusio fecit, an Vinariam velit reverti, & à Venere aliqua in vincula conjici. Quam quidem temporis discrepantiam neutiquam tangerem ego, nisi impudentissimus quidem *Lappius* (verè *Lappius*, totus enim hominis tractatulus meris pannis oblitus est. dignus adeò, si quisquam alius, qui Nihusij libello assuatur, sicuti etiam factum id à Nihusio est, propter summam videl. illam, quæ utriq; communis, in calumniando dexteritatem) invitum me ad talia traheret. Quando enim B. Parens meus Tom. V. sect. 14. de Pighio commemorat, quod *eodem anno CHRISTI, quo Eccius IV. Id. Febr. obiit*, nimirum 1543. *mortuus sit.* ibi censoriam suam virgulam cohibere non potest prædictus Lappius, sed addit: *splendidum mendacium.* (quod Pighius scil. eodem anno cum Eccio sit denatus) Ipse tamen *Lappius*, in memor sui, circa tractationis illius sive animadversionis finem *Cochlei* (*Viri*, Bellarmini Cardinalis iudicio de Scr. Eccl. p. 311. *doctissimi & fidei Catholica propugnatoris eximij*) subjicit ac deprædicat testimonium de Pighij & Eccij obitu, quod testimonium ita definit: *Mortuus a. est UTERQUE INTRA UNIUS MENSIS ET QUIDEM PRIMI SPACIUM, non sine publico plurimorum luctu & gemitu.* En videte *Lappij* vanitatem! quos binos, Eccium ac Pighium, intra unius & quidem primi mensis spacium obijisse *Cochleus* rectè scribit, illos uno eodemq; anno mortuos esse, dum B. Parens meus adserit, *splendidum mendacium* Lappio committit. ò miram Jure consulti subtilitatè! quam si quis stupiditatem vel cæcum potius odium adpellare mallet, sanè non adeò procul abludet à vero. Sed nolo jam cum Lappio in arenam descendere, quod facturus ta-

B

men

men bono cum DEO die alio sum. Nibufius verò quàm fe-
lix in concinnandis figmentis fit, aliud videte jam exem-
plum. P. 128. de ftudiofo quodā Germano qui Præceptorē a-
pud Dn. D. *Himmeliū* egerit, *narrat*, veniffe eum in Bel-
gium ad Batavum aliquem, atq; apud eundem afseveraffe
de B. *Himmelij* filijs, quòd omninò *Elias* alter alter *Enoch* Pō-
tificis Romani causâ fuerint dicti, se v. nō fuiſſe horū, ſed natu
minimorū pädagogum. illorū v. *utrumq; Concionatorem*,
eſſe. idq; *accidiſſe ante ſexennium*, ſcribit *Nibuſius* anno 1646.
Quàm autem & hic veritati minimè litet *Nibuſius*, tum in-
de patet, quoniam D. *Himmelio* præter iſtos duos natu
majores, non niſi unus fuit filius, tum v. & ex hoc, quòd al-
ter iſtorum natu majorum ſuperiori demum anno ad offi-
cium admotus Eccleſiaſticum, quemadmodum neminem
in totâ mea patria res iſthæc fugere poteſt. Videant igitur
æqui iudices, annon plus habendum fidei ſit aliquot testi-
bus ocularis, quàm aurito uni *Nibuſio*, eidemq; jurato
Lutheranorum hoſti. Id verò figmentum proſus nullo fe-
rendum modo eſt, quando. pag. ſequentē 132. ſingit, *Illuſtriſ-
ſimum Principem Erneſtum, Ducem Saxonie &c.* Dominum
meum clementiſſimum, *monſtrare ſibi ſolitum olim fuiſſe*
*annulum ab Eliſabetâ, Andrea Hungarorum Regis filiâ, ad cu-
jus genus Saxonie Principes pertineant* (de quâ etiâ *Nibuſius* p.
130. ex *Jacobo Montano* prodit, quòd à *Gregorio IX.*, vixit ſcili-
cet *Gregorius IX.* eodem tēpore, quo *Gregorius III.* nim. 731.
id quod condonandum citato *Montano* eſt, multò verò mag-
is *Nibuſio*, quippe qui invitus manum ad chronologica
applicat (p. 1.) etſi ſententiam *Montani* ipſe laudet. *in di-
varum numerum anno Chriſtiana Salutis clō CC XXXVI. ſit*
adſcripta, qui ipſe tamen *Nibuſius* pag. 133. ſui immemor
ſcribit, *Sanctorum Catalogo inſcriptam à ſede Apoſtolica, Kal.*
Jun. clō CC XXXV. eſſe.) *dum ipſa in matrimonio viveret, ge-
ſtatura,*

Statum, rudi opere aurum & smaragdo quadrangulo, exstante plusculum è palà, conspicuum. quo diligenter asservato, prospiciam eam Ducum Saxonie, Landgraviorumq; Thuringie, fore salvam, deperdito autem infelicem, ex agrappa majorum sententia seu traditione adseverasse eundem Principem. ita Nihufius. sed ò insignem hominis impudentiam! ò frontem perfrictam! annon erubescis Nihufi, figmento tali optimum enerare principem? illum Principē, cujus summa in te, sed infeliciter! collata beneficia ipse dissimulare haut potes. Sanctè magnus quidam Vir, quiq; singulari pientissimi Principis clementià cottidie coràm fruitur, per litteras mihi nuper affirmavit, EX ORE Serenissimi Principis, cujus auctoritate mendacia tua non vereris stabilire, habere se, nihil de Elisabetha laudatissimum Principē possidere, immò Eundem, negasse, unquam vel à se, vel ab aliis nostri ævi hominibus, annulum illum, de quo viso tantopere gloriaris Nihufi, visum esse, vel ex relatione majorum accepisse, quòd talis extiterit, nedum ut tali materià & formà factum monstrare tibi, tum temporis in servitium adscito, prout jactitas, valuerit. Apage igitur, Nihufi, cum commentis tuis, quibus Principibus etiam viris, iisdemq; tuis Evergetis illudere pro lubitu non verecundaris. Haccine tibi figmenta expressit amor debitus ac reverentia erga Serenissimam domum Saxonicam & cum primis Duces Vimarientes? Vide, ne merito tuo in jus voceris graviterq; accuseris ex l. diffamari qua nostris minaris Theologis. Sed scio, te Lutheranorum accusationes minus timere, cum Romæ nunc, si credendum famæ est, apud Pontificem loco sat remoto tutoq; agas. Scito tamen & hoc, nec nos Lutheranos tua nec idoli tui Romani metuer fulmina, neq; etiã concedere Romano-Catholicos prius à nobis læsos esse, quod tu quidem opinaris. Judicent v. nunc omnes, qui caput non in calcaneo gerunt, quid tribuendum fidei Nihufio sit, de privatis, de defunctis, de

ijs, à quibus non affectus beneficijs fuit, quando nonnulla refert, dum Principi viventi adhuc eidemq; benefactori olim clementissimo hujusmodi talia, quæ nunquam facta vel visa, ingenti impudentiâ tribuere non erubescit. Profectò miratio subit, annon cogitarit Nihusius, mendacium id suum coram toto orbe fore manifestum. Sed qui semel ruborem deposuit ac verecundiam Nihusius, gloriolam sine dubio quærit suis figmentis. Dolendum v. meritò cum ipso est, quòd adeò *simplex nimium fuerit rectusq;*. Non audiantur illi, qui dicere audeant, Nihusium quidquam contra quenquam ex animo protulisse malevolo. Ut ut enim semper illi in ore ac calamo sit: *stultus est Gerhardus, fatuus est Gerhardus, delirat Gerhardus, turpiter desipit Gerhardus &c.* ex bono tamen & simplici corde hæc profecta encomia sunt, quali semper fuit *Nibusius*. cur non in bonâ admittamus significatione, eoq; sensu atq; animo, quo dixit Nihusius? quilibet n. verborum optimus interpres suorum est. quis dubitat phrasen infano sensu tolerari à quolibet æquo animo posse? licet itaq; *Nibusius* ad recitata nonnulla B. Parentis mei verba exclamet: *ò Stupiditatem! Phui, Phui.* patientibus tamen audienda isthæc auribus sunt, cum in suum (ignoscas, quæso *Nibusi*, cum Patrono tuo Prisciano, si minus Grammaticè jam loquar, rei enim gravitas obstat) genere ac sermone, qui Nihusij redolet ingenium, satis sint frequentia passimq; obvia. Compendio dicam: æquo ferenda animo figmenta vituperiaq; omnia sunt, à Nihusio profecta, cum *simplex nimium is sit ac rectus*. Miror v., quare non symboli loco sibi adsumat illud Christi: *Serpentinus oculus in columbino corde.* quod ipsum etiam B. Parentem meum *suum symbolum esse iussisse, atq; adeò hoc ipsum malignitatis in ipso recondit & indicium certum fuisse*, Nihusius calumniatur. neq; tamen

tamen quiescit, sed subjicit porrò: *qui dixisset verius, Columbinus oculus in serpentino corde.* quò videlicet calumnijs suis ansam quærere Nihusius possit, fingit, B. Parentem meum suum de se symbolum esse voluisse: *Serpentinus oculus in columbino corde.* Sed purum putum hoc rursus figmentum est. quem enim, quæso, præterit, aliud B. Parenti meo fuisse symbolum, albis etiam aliquot mille ab ipso inscriptum? nimirum hoc:

Ex solo Domini verbo sapientia vera.

In solo CHRISTI merito fiducia vera.

In solo COELO vita est & patria vera.

Quo ipso etiam Caput hoc ob signo, Nihusiumq; cum figmentis suis valere jubeo. si quis enim illa omnia excutere ex asse vellet, dies potiùs illum deficeret, quàm sribendorum materia.

CAP. II.

Disquiritur, an Sp. S. sive Apostolus distinguat inter propositionem hypotheticam & absolutam h. l.? conditionaliter hæc verba Christi accipienda esse, ex *Barrbadij* probatur testimonio. De quonam adventu Christus h. l. loquatur. an aliquid Christus h. l. affirmet? an ambiguitas lateat in verbis: *donec veniam?* minus id ipsis Pontificijs arridere, probatur.

Detectis nonnullis figmentis Nihusij, quæ recensuisse, penè refutasse est, ad Controversiam, quam Cap. 38. pertractat Nihusius, reverti placet. Ubi quidem superioribus disputationibus excussi testimonia *Prisciani* atq; *Trapezuntii*, quæ cum primis pro suâ firmanda sententiâ adduxit Nihusius. Reliquum jam est, ut cœteras objectiunculas perpendam Disputatoris Nihusij. In primâ v. acie aggreditur ipse Corn. Martini, qui scriptum reliquerat in suis de analysi libris; *Manifestè Spiritum Sanctum docere, in enuncia-*

tionis inquire formam. cum hac, si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? hypothetica sit; ista a.: volo istum manere donec veniam, nequaquam hypothetica sit, neq. idem significet, quod prior, neq. idem polliceatur. Posterius concedit Nihufius, cum nemo, inquit ipse, nesciat, hypotheticam eam differre ab absoluta. quod v. à Sp. S. manifestò admoneamur nos illic, ut ad id attendamus, vel quòd Johannes Apostolus exactissimè distinguere nos doceat inter hypotheticam, & eam, quæ hypothetica non sit, id v. non solùm negat Nihufius, sed & errorem vocat, atq; inde Calixtum etiã errare dicitur, quando scribit; *ipsum Johannem admonere, malè discipulos hypotheticam pro cægorica accepisse.* Videntur igitur jam nunc est considerandumq; non, an propositiones istæ in se considerata differant inter se: Sed an Spiritus S. id ipsum indicare voluerit. Ante verò, quàm hoc probem, monendum omninò duxi, quòd *Augustinus* tr. in Johannem 124. (teste *Sebast. Barradio* è S. J. & in *Eborensi Acad.* quondam *Sacr. Litt. Professore Comm. in Concord. IV. Evang. Tom. 4. lib. 9. c. 4.*) adserat, *opinionem istam absurdam, quòd Johannes adhuc in sepulcro dormiat, ex istorum occasione verborum, SIC eum volo manere, donec veniam, emanatam esse.* Deinde & id observandum probè est, quòd *Barradius* ipse scribat, *verba illa: sic eum volo manere, donec veniam conditionaliter esse explananda.* Jam nunc ad *Nihufium.* Si igitur, quod idem suprà concessit, *istæ propositiones sic volo & si volo eum manere &c. omninò differunt tanquam absoluta & hypothetica,* atque hæc nequaquam idem significat, quod absoluta, nec idem etiam pollicetur? quomodo, quæso, conditionaliter absoluta ista potest exponi? annon enim sic confunduntur hypothetica propositio & absoluta? rectè omninò suprà laudatus *Barradius* l. c. *Ex prædictis verbis Domini, collegerunt illi discipuli, qui tunc aderant,*

rant, & reliqui qui verba Christi postea audierunt; Johannem non moriturum, sed mansurum in vitâ usq; ad adventum Christi ad judicium. tunc v. absq; morte in cœlum adsumendum. Hanc v. discipulorum existimationem ait non esse certam, ac firmam, quia CHRISTUS non dixit apertè, ipsum non moriturum; sed tantum dixit: Sic (NB. veram sententiam tuetur *Barrabadius*, quam putat cum lectione erroneâ consistere posse) eum volo manere donec veniam, quid ad te? quæ verba non significant id, quod discipuli collegerunt. Christus n. SUB CONDITIONE loquutus est, ut *Petri* repelleret interrogationem, in hunc modum, ETSI ego VELIM, illum vivere usq; ad meum adventum, quid ad te hoc pertinet? eodem modo dicere potuit: ETSI EGO VELIM EUM VIVERE PER OMNIA SECULA & totam eternitatem, quid ad te pertinet de ejus vita inquirere. Rectè omninò laudatus *Jesuita* observat, errorem Discipulorum ortum esse, non ex ambigua sive sinistra acceptione vocis USQUE DUM VENIAM, sed potiùs exinde, quia illa, quæ SUB CONDITIONE Christus dixerat, sine conditione acceperunt & intellexerunt. Sanè ob hanc ipsam etiam causam repetit etiam *Evangelista* propositionem istam Conditionalem. & *satisfecisset etiam Dominus curiositati Petri*, uti rectè observat *Jansenius* quoq; si dixisset: Sic eum volo manere, donec veniam. cui tamen affirmationi, subjicit porrò *Jansenius*, non satis coheret subsequens reprehensio, quid ad te? tu me sequere. Sed nihilominus conditionalē propositionem latere in vocabulo *Sic*, *Nihusius* urget, ita tamen ut magis affirmet. tali scil. modo: Si volo, uti omninò volo. Ast quomodo conditionalē pro absolutâ accipiendo Discipuli errassent, si sub conditione illâ Christus magis affirmasset, quod dixerat, vel subintelligi etiam voluisset majorem affirmationem, quod *Nihusius* vult. Patet itaq; quod omninò Spiritus S. sive *Evangelista*

lista distinguat & hoc loco inter propositionem absolutam
 & hypotheticam. Sed errant tamen Nihusio illi, qui hoc
 statuunt, & per consequens etiam Socienni *Jansenius*, *Bar-*
rhadius alijq; adferentes errorem Discipulorum inde ena-
 tum esse, quia SUB CONDITIONE à Christo dicta, in-
 tellexerunt sine conditione & absolutè. Et quomodo, qua-
 so, refelleret Apostolus erroneam istam sententiam repe-
 tendo saltem Christi propositionem, nisi illam ipsam ab-
 solutè contra Christi intentionem intellexissent? Sed acu-
 rem tetigisse putat Nihusius illudq; vidisse, quod ante i-
 psam forsitan nemo. pergit enim: *Ad appendicem hanc, do-*
nes veniam, non attendebant, neq; in sensum ejus inquirebant
fratres, sed opinabantur perperam, immortalem pronunciatum
à Christo Johannem. idèd, inquam, hic ipse Evangelista: Et
 non dixit ei Jesus: Non moritur; sed: si (miror, quare vul-
 gatam hinc deferat *Nihusius*, forsitan quia jam cum textu
 Græco confert, cui minus benè respondet) eum volo ma-
 nere donec veniam, quid ad te? *εάν αυτών θέλω μένει έως*
έρχομαι, τί πρὸς σε; Nimirum fratres illi videntur (NB. rectè
 dicit *Nihusius* VIDENTUR, subintellige in Nihusij cele-
 bro: alij enim omninò ita intellexerunt, aliàs enim neuti-
 quam dixissent, Johannem non moriturum) intellexisse,
 loquutum Christum de adventu, ad extremum judicium suo, &
 aut victurum eousq; Johannem, aut frustrà fore verba, si eum
 volo manere, sive conditionalem tandem redderent enuncia-
 tionem, sive minus; non a. putabant, excidisse Christo verbum
 frustraneum. ita Nihusius. Sed quàm benè, proximè
 videbo jam nunc enim *εάν αίτιον δι' ἑμῶν* ab-
 rumpere cogor. S. D. G.

❖❖(**)❖❖



VO A 6412

ULB Halle

3

002 920 379




VO 77

Retro ✓







26

D. J.

ad

Cap. XXI. Comma 22.

D. JOHANNIS

EXERCITATIO

PHILOLOGICA TERTIA,

BARTOLDO NIHUSIO

Sacerdoti Pontificio
opposita,

*ing. illustri Academia Wittebergensi
publicè ad disputandum
proposita.*

à

M. JOHANNES ERNESTO


GERHARDO Jenensi, Coll. Philosoph.
Adjuncto.

RESPONDENTE

TOBIA MAGEN, Greuffensi,

Habebitur in Auditorio Philosophorum

a. d. XXIII. Martij.



WITTEBERGÆ,

TPPIS JOHANNIS HAKEN, M DC L.